Berthold Otto's

Tirocinium Vergilianum

Zweites Heft

Vergils Äneis

Buch I, v. 166—360

Lateinische Vorbereitung und Text
(Auch als 22. Lateinbrief erschienen)

Preis 50 Pfg.

Berlin - Lichterfelde
Verlag des Hauslehrers
1913.

Anmerkung.

In den Vorbereitungen ist die Kenntnis der Formenlehre, des acc. c. inf. und des abl. abs. und ein geringer Vokabelschatz als bekannt vorausgesetzt. Für die wenigen Fälle, wo die reichlich unter den Text gesetzten Vokabeln nicht genügen, wird das Taschenwörterbuch von Prof. Dr. H. Menge, Lateinisch-Deutsch, Langenscheidtsche Verlagsbuchhandlung, Berlin-Schöneberg (Preis gebd. 2 Mk.), empfohlen, das übrigens zur Lektüre aller Schulschriftsteller ausreicht. Beim Aufschlagen ist zu beachten, daß jedes Substantiv im Nominativ Singular, jedes Verb im Einsprecher der Jetztzeit (der ersten Person Singular des Präsens Indikativ) aufgeführt ist, also lapid-es unter lapis, laniare unter lanio (zerfleischen).

Man übersetze die Vorbereitung mehrfach durch, bis man nicht mehr nach den Vokabeln unter dem Text zu sehn braucht. Am besten ist es, wenn man den Sinn ganz lateinisch erfaßt, ohne Vermittelung der deutschen Sprache. Erst wenn man die Vorbereitung gründlich durchgearbeitet hat, wage man sich an den Text, den man nach der punktierten Versbetonung laut lesen muß. Die Übersetzung des Vergiltextes gelingt fast überall leicht; wo das nicht der Fall sein sollte, da muß man noch einmal auf die Vorbereitung zurückgehn.

Vorbereitung zu Vergils Äneis.

Parva silva vocatur nemus [1]. Nemus atrum [2] est umbrā. Interdum umbram petimus; interdum umbram horremus [3]. Tum nemus atrum horrenti umbra est. Sed non solum silva et nemus adest, sed etiam antrum [4]. Scopuli pendent; sub adversa fronte [5] antrum est. Intus [6] sunt aquae dulces et sedilia [7]. Sed haec sedilia non ab hominibus facta sunt; saxum ab hominibus necatur; saxum, quod non ab hominibus sculptum est, vocatur vivum. Ergo intus sunt sedilia vivo saxo. Haec est domus nympharum. Hic non vincula ulla naves fessas [8] tenent, nec ancora eas tenet. Scitisne, quemadmodum ancora navem teneat? Ancora unca [9] est. Ancora arenam mordet. Sic ancora morsu navem alligat [10]. Quia ancora unca est, propterea etiam morsus ancorae a poeta uncus vocatur.

Sic Vergilius portum describit. Huc [11] subit [12] Aeneas. Sed non omnes naves colligere [13] potuit. Ex omni numero septem naves Aeneas collegit. His septem navibus collectis Aeneas huc subit. Omnes homines amant tellurem, sed qui diu in mari vexati sunt, multo magis amant tellurem. Sic etiam Aeneadae magno telluris amore egressi sunt navibus; egressi potiuntur [14] optata arena. Nam qui in mari ventis agitatur, optat, ut arenam videat. Propterea arena ei optata est. Sic etiam Troibus arena optata est. Tabebant [15] artus [16] sale; Troes artus sale tabentes in litore ponunt.

Tum ignem accendunt. Describit Vergilius, quemadmodum hoc fecerint. Achates silicem [17] sumit; silici excudit [18] scintillam [19]. Hanc scintillam Achates excipit [20] foliis. Tum Achates circumdat folia arida [21], quae ignem nutriant [22]; arida nutrimenta Achates circumdat. Sic Achates in fomite [23] flammam rapit. Tum panem facere volunt. Ceres est dea frumenti; propterea poetae etiam frumentum ipsum vocant Cererem. Ceres Troianorum corrupta erat undis. Hanc Cererem undis corruptam Troiani expediunt e navibus et

---

1 Hain. 2 schwarz, dunkel. 3 verabscheuen. 4 Höhle. 5 Stirn, Stirnseite. 6 darin. 7 Sitze. 8 erschöpft. 9 gekrümmt. 10 anbindet. 11 hierher. 12 herangehn. 13 sammeln. 14 sich bemächtigen. 15 hinschwinden. 16 Glieder. 17 Kiesel. 18 herausschmieden, herausschlagen. 19 Funke. 20 auffangen 21 trocken. 22 nähren. 23 Zünder.

parant fruges [1], quas navibus receperant [2], torrere [3] flammis et frangere [4] saxo. Ea, quae ad fruges torrendas et frangendas opus sunt [5], vocantur arma Cerealia. Etiam arma Cerealia expediunt Troiani, quamquam fessi [6] rerum erant.

Aeneas interea scopulum conscendit [7] et omnem prospectum late pelago petit [8], si [9] quem sodalium [10] videat, si Anthea videat iactatum vento, si (naves) Phrygias biremes videat. Biremes [11] eae naves vocantur, quibus duo ordines remorum [12] sunt. Prospicit Aeneas, si Capyn videat aut arma Caici in celsis [13] puppibus [14]. Sed Aeneas in conspectu nullam navem prospicit; sed tres cervos prospicit, qui in litore [15] errant. Hos sequuntur a tergo tota armenta [16]; sic longum agmen [17] pascitur [18] per valles [19]; cervi ducunt, cervi ductores sunt; cervae sequuntur. Cervi cornua [20] ferunt; cornibus capita alta sunt, nam cornua arboribus similia sunt. Propterea poeta dicit: cornua arborĕa. Cervi a poeta vocantur ductores capita alta cornibus arboreis ferentes. Hos ductores ipsos necat Aeneas, ut sodales edere possint. Nam Aeneas, simulatque [21] cervos vidit, constitit [22] et fido Achatae dixit: Da mihi arcum et celeres sagittas. Nam fidus Achates haec tela gerebat. Aeneas arcum et sagittas corripuit [23] et ductores sternit [24]; tum Aeneas vulgus [25] sternit, sed non omnes cervas sternit; quattuor cervas humi [26] fundit [27]. Nam quia septem naves aderant, Aeneas non prius absistit, quam septem ingentia corpora humi fundat et numerum cum navibus aequet [28]. Sic Aeneas victor erat; omnem turbam Aeneas fugaverat; telis agens Aeneas omnem turbam miscuerat [29] inter nemora [30]. Nemora frondea vocantur, quia arbores fronde [31] teguntur.

Hinc Aeneas portum petit et cervos cervasque partitur [32] in omnes socios. Acestes bonus heros vina dederat Troianis litore Trinacrio [33] abeuntibus; Acestes vina cadis [34] oneraverat [35]. Haec vina Aeneas sociis dividit et pectora maerentia [36] his dictis mulcet [37]:

„Socii, non sumus ignari [38] malorum. Etiam antea (poeta dicit: ante) non ignari eramus malorum. Graviora passi estis. O socii graviora mala passi, deus his quoque malis finem dabit. Vos accessistis [39] rabiem [40] Scyllaeam, vos acce(ssi)stis scopulos penitus [41] sonantes, vos experti estis Cyclopia saxa; mittite maestum timorem et revocate animos vestros. Forsan [42] olim [43] iuvabit [44] haec meminisse, quae nunc patimur. Tendimus [45] in Latium per varios casus, in Latium, ubi fata quietas sedes nobis ostendunt; fas est illic [46]

---

1 Feldfrüchte. 2 aufnehmen. 3 dörren, rösten. 4 brechen. 5 nötig sind. 6 ermüdet von den (widerwärtigen) Dingen. 7 besteigen. 8 aufsuchen. 9 ob. 10 Gefährten. 11 Zweireiher. 12 Riemen, Ruder. 13 hochragend. 14 Heck. 15 Gestade. 16 Herden, Rudel. 17 Zug. 18 weiden. 19 vallis Tal. 20 Horn. 21 sobald als. 22 consisto stehn bleiben. 23 ergreifen. 24 niederstrecken. 25 neutrum der große Haufe (unregelmäßiger Neutralis auf s). 26 auf dem Boden. 27 eig. gießen, hinwerfen. 28 gleichmachen. 29 mischen, durcheinander jagen. 30 nemus Hain. 31 Laub. 32 verteilen. 33 sizilianisch. 34 cadus Krug. 35 einfüllen. 36 trauernd. 37 streicheln, besänftigen. 38 unkundig. 39 herangehen. 40 Wut. 41 aus der innersten Tiefe. 42 vielleicht. 43 dereinst. 44 es ergötzt. 45 streben. 46 dort.

regna Troiae resurgere[1]. Durate[2] et servate vos(met) rebus secundis." (Pro „vos" interdum dici potest „vosmet".)

Talia Aeneas voce refert. Ipse aeger[3] erat curis ingentibus; sed altum dolorem corde[4] premit; vultu[5] simulat spem.

Socii non videbant dolorem Aeneae, sed videbant praedam, quam attulerat. Accingunt[6] se praedae et dapibus[7] futuris. Secant corpora; costis[8] deripiunt[9] tergora[10]; nudant[11] viscera[12]. Haec omnes faciunt. Sed tum pars sociorum hoc, pars hoc facit: pars carnem in frusta[13] secant (Vergilius dicit „pars secant", quia „pars sociorum" plures homines sunt) et frusta figunt[14] veribus[15]. In veru pendens frustum tremit[16]; propterea Vergilius dicit „frustra trementia veribus figunt". Vasa, in quibus caro coquitur, ex aere[17] facta sunt. Quod ex aere factum est, vocatur aēnum[18]. Alii socii vasa aena locant[19] litore et ministrant[20] flammas. Vires[21], quae abierunt, revocari possunt victu[22] (victus est nomen actionis a verbo vivo, vixi, victum, vivere). Etiam socii Aeneae vires revocant victu; funduntur[23] per herbam; fusi per herbam implentur[24] vini et carnis. Pro vino Vergilius dicit Bacchum; dicit „implentur veteris[25] Bacchi". Caro, quam edunt, est caro ferarum; caro ferarum vocatur caro ferīna, caro vitulorum[26] vocatur caro vitulīna, caro equorum vocatur caro equīna. Socii Aeneae implentur carnis ferinae. Cervi, quos Aeneas necaverat, antea non saepe a venatoribus fugati erant; nam caro eorum pinguis[27] erat. Socii Aeneae implentur pinguis ferinae.

Si famem[28] eximunt[29]. Postquam fames exempta est, mensae[30] removentur. Postquam mensae remotae sunt, requirunt socios amissos longo sermone, dubii[31] inter spem et metum, seu credant eos vivere, seu credant eos extrema pati. Qui extrema passi sunt (scilicet mortui sunt), non iam exaudiunt[32] vocati. Praecipue[33] Aeneas nunc secum gemit[34] casum acris[35] Oronti, nunc casum Amyci, nunc crudelia fata Lyci, nunc gemit fortem Gyan fortemque Cloanthum.

Juppiter aethere summo despicit[36]. Despicit terras iacentes[37] et mare, in quo vela[38] volant[39], mare velivolum, et litora et latos populos. Haec despiciens sic Juppiter tum vertice[40] caeli constitit[41] et oculos — Vergilius dicit „lumina"[42] — defixit[43] regnis Libyae. Juppiter, si terras et mare despicit, magnas curas pectore iactat, quia omnia ei regenda sunt. Illum tales curas pectore iactantem Venus adloquitur. Venus erat mater Aeneae. Propterea Venus tum tristior erat. Oculi nitentes Veneris suffusi[44] erant lacrimis[45], vel, ut ait poeta: Venus oculos nitentes suffusa erat lacrimis. Haec

---

1 wieder auferstehn. 2 ausdauern. 3 krank. 4 Herz, Inneres. 5 Miene. 6 sich heranmachen an. 7 Mahl. 8 costa Rippe. 9 herabreißen. 10 Rücken. 11 entblößen. 12 Eingeweide. 13 frustum Stück. 14 heften, stecken (an). 15 veru Spieß (zur Jagd, aber auch zum Braten). 16 zittern. 17 Erz. 18 ehern. 19 aufstellen. 20 bedienen. 21 Kräfte. 22 Nahrung. 23 sich hinstrecken. 24 anfüllen (mit Genitiv). 25 vetus alt. 26 Kalb. 27 fett. 28 Hunger. 29 herausnehmen. 30 Tisch. 31 zweifelnd. 32 hören. 33 vornehmlich. 34 beseufzen. 35 „schneidig". 36 herabschauen. 37 iaceo liegen. 38 Segel. 39 fliegen. 40 Scheitel. 41 consisto sich hinstellen. 42 Lichter. 43 herabheften. 44 suffundo untergießen. 45 Tränen.

Venus Jovem adloquitur: „O Juppiter, qui rĕgis res hominum et deorum (Vergilius scribit hominumque deumque) imperiis aeternis[1], qui terres[2] fulmine homines et deos, quid tantum[3] committere[4] potuit Aeneas meus, quid tantum Troes committere potuerunt, quibus cunctus[5] orbis terrarum clauditur? Tot funera passi sunt; nunc tot funera passis ob[6] Italiam cunctus orbis terrarum clauditur.

„Certe pollicitus es[7] Romanos hinc (ab Italia) ductores fore, qui mare et terras sub omni dicione[8] teneant. Non statim hoc fore pollicitus es, sed olim[9] volventibus annis. Sanguinem Teucri in Italia revocare[10] voluisti; e revocato sanguine Teucri pollicitus es Romanos ductores fore. Hoc tu, genitor[11], pollicitus es; quae sententia te vertit?[12] Occasus[13] Troiae et tristes ruinae Troiae magno dolore me affecerunt; sed hoc, quod tu pollicitus es, equidem solabar[14] occasum Troiae et tristes ruinas, nam rependebam[15] fatis fata contraria; nunc autem rependere non possum, nam viros tot casibus actos eadem fortuna insequitur. Rex magne, quem finem laborum das? Antenor mediis Achivis elapsus[16] est. Antenor mediis Achivis elapsus Illyricos sinus penetrare[17] potuit. Antenor tutus[18] intima regna Liburnorum et fontem Timavi superare potuit (Hic locis mare proruptum[19] it per novem ora[20] cum vasto[21] murmure[22] montis et premit arva[23] pelago[24] sonanti). Hic Antenor urbem Patavii locavit et sedes Teucrorum locavit et genti nomen dedit et arma Troia fixit[25]; hic nunc Antenor quiescit[26] compos(i)tus[27] pace placida (quae omnibus placet). Nos autem, tua progenies, prodimur[28] ob iram unius! Infandum est![29] Nos, quibus caelum adnuis[30], quibus caeli arcem adnuis, prodimur amissis navibus? Nos longe disiungimur[31] oris Italis? Hic honos est pietatis? Sic sceptra reponis[32] in nos?

Audivimus, quae Venus dixerit. Quid tum fecit Jupiter? Irascebatur-ne Veneri? Non irascebatur, sed ridebat[33]. Non magna voce ridebat, sed sub[34]-ridebat. Jupiter subridens Veneri oscula[35] dedit vel, ut ait Vergilius, libavit[36]. Jupiter saepe pater omnium deorum et hominum vocatur. Vergilius Jovem hoc loco non patrem sed satorem hominum et deorum vocat. Sator est nomen actoris a verbo sero, sēvi, sătum[37]. Jupiter deus caeli sereni[38] est; Jupiter vultu[39] tempestates expellit et caelum serenat[40] vel, ut ait Vergilius, caelum tempestatesque serenat. Etiam Venus erat Jovis filia vel nata. Ergo Jupiter illi (Vergilius scribit „olli") subridet. Cythera insula Veneris est. Propterea Venus Cytherēa vocatur. Dehinc[41] Jupiter talia[42] fatur. „Parce[43] metui (Vergilius scribit „metu"); fata

---

1 ewig. 2 erschrecken. 3 so Großes. 4 begehen. 5 gesamt. 6 wegen. 7 polliceor versprechen. 8 Herrschaft. 9 dereinst. 10 zurückrufen, wieder erwecken. 11 Erzeuger. 12 wenden, umstimmen. 13 Untergang. 14 lindern, trösten. 15 zurückwiegen, aufwiegen. 16 elabor herausgleiten, entrinnen. 17 durchdringen (eindringen in). 18 sicher, ungefährdet. 19 hervorgebrochen. 20 Mündungen. 21 ungeheuer. 22 Getöse. 23 die Gefilde. 24 Flut. 25 heften, befestigen. 26 ruhn. 27 zur Ruhe gebracht. 28 preisgeben. 29 es ist nicht zu sagen. 30 zunicken, gewähren. 31 trennen. 32 bei Seite legen. 33 rideo (e, s, s) lachen. 34 ein wenig. 35 um Kuß. 36 spenden. 37 säen. 38 heiter. 39 Miene, Antlitz. 40 heiter machen. 41 von hier an, d. h. darauf. 42 Solches, Folgendes. 43 schonen (mit Dativ).

moveri non possunt, neque fata tuorum, filii et nepotis et nepotis filii et ceterorum, moveri possunt; fata tuorum tibi immota manent [1]. Ipsa cernes urbem, quam filius tuus condet; cernes moenia Lavinii et ipsa Aenean [2] magn-animum ad sidera caeli feres. Aeneas sublimis [3] erit; ipsa magnanimum Aeneam sublimem feres ad sidera caeli. Me sententia non vertit (nos dicimus: ego sententiam non verti). Sed quia (Vergilius dicit „quando“ [4]) haec cura te remordet [5], longius tibi fabor. Volvam et movebo arcana [6] fatorum. Hic (Aeneas) bellum ingens [7] geret in Italia (Vergilius non dicit „in Italia“, dicit „Italia“). Aeneas contundet [8] populos feroces. Aeneas viris moenia ponet, sed praeter moenia Aeneas iis etiam mores ponet. Aeneas Rutulos subăget [9]. Rutulis subactis Aeneas tres annos regnabit. Tertia aestas [10] eum regnantem videbit. Tres hiemes transibunt, antequam morietur. (Sed poeta non dicit hiemes, dicit hiberna.) Nam omnia, quae hiemi sunt, vocatur hiberna. Imprimis castra, quae milites Romani hieme faciebant, vocabantur castra hiberna. Sed „castra“ est numerus pluralis. Propterea numerare non possumus: „duo castra, tria castra“, sed sic nobis numerandum est: „bina [11] castra, terna [12] castra“. Haec nomina numerorum vocantur distributiva. Itaque Vergilius dicit: Terna hiberna transibunt. Aeneas mores ponet viris, dum [13] tertia aestas Latio regnantem viderit et terna hiberna transierint Rutulis subactis. Puero Ascanio cognomen erat. Ascanius vocabatur Ilus, dum [14] res Ilia stetit regno (dum Ilium stetit et regnum fuit). Dehinc vocabitur Iulus. Nunc ei cognomen Iulo [15] additur. Ascanius triginta annos explebit [16] imperio. (Sed poeta non simpliciter scribit „annos“, scribit „orbes [17] magnos volvendis mensibus explebit“). Ascanius Albam Longam condet et multa vi muniet et regnum ab sede Lavinii transferet Albam Longam. Hic (Albae Longae) post Ascanium filius regnabit, tum filius filii, tum semper filius filii. Sic hic ter [18] centum totos annos regnabitur sub gente tua. (Vergilius hoc loco non satis accurate [19] dicit „gente Hectorea“, nam Hector non erat pater Iuli.) Tum filia regis, quae sacerdos [20] erit (Vergilius dicit „regina sacerdos“), nubet [21] Marti. Marte gravis [22] regina sacerdos pariet [23] geminos [24] (Vergilius dicit: regina sacerdos partu dabit geminum prolem [25]), Romulum et Remum. Lupa [26] pueros nutriet [27], lupa nutrix pueros teget corpore fulvo [28]. Pueri laeti [29] erunt fulvo tegmine (id, quo tegimus, vocatur tegmen) lupae nutricis. Romulus condet Mavortia [30] moenia, Romulus Romanos de suo nomine dicet. Sic Romulus gentem tuam excipiet [31]. Romanis dedi imperium sine fine, Romanis non tempora pono, Romanis non metam [32] rerum pono.

---

1 (e, s, s) bleiben. 2 n ist griechische Akkusativendung. 3 hoch, erhaben. 4 wann. 5 eigentlich „wieder beißt“. 6 Geheimnisse. 7 ungeheuer. 8 zusammenstoßen, niederschmettern. 9 unterwerfen (a verbo simplici ago). 10 Sommer. 11 je zwei. 12 je drei. 13 mit Konjunktiv „bis“. 14 mit Indikativ „so lange als“. 15 Dativ, weil ei Dativ ist. 16 ausfüllen. 17 orbis Kreis. 18 dreimal. 19 genau. 20 Priester(in). 21 Schleier nehmen für, d. h. heiraten. 22 vom Mars empfangend. 23 gebären. 24 zwiefach, Zwillinge. 25 Nachkommenschaft. 26 Wölfin. 27 nähren. 28 gelb. 29 froh über. 30 dem Mars gehörig. 31 aufnehmen. 32 Zielstein.

(Recte dicit Jupiter; nam Romanorum imperium longius erat, quam imperium ipsius Jovis). Quin[1] aspera[2] Juno, quae nunc metu mare terrasque caelumque fatigat[3], consilia sua in melius referet et mecum fovebit[4] Romanos, dominos rerum, gentem „togatam“ (Romanorum vestis vocabatur „toga“).

Sic diis et fatis placet, sic placitum est. Lustra[5] labuntur[6]. Labentibus lustris aetas veniet, cum domus Assărăci servitio[7] premet Pthiam clarasque Mycenas (Assaracus erat avus Anchisae, Anchises erat avus Iuli. Pthia est urbs Achillis, Mycenis regnabat Agamemnon). Aetas veniet, cum domus Assaraci dominabitur Argis victis. Tum nascetur maximus Troianorum: Julius Caesar. Nomen Iulii demissum[8] est a magno Iulo. Caesar imperium terminabit[9] Oceano; Caesar famam terminabit astris. Hic quoque olim in caelum veniet; tu eum caelo accipies. Tum eris secura[10]. Caesar veniet onustus[11] spoliis[12] Orientis. Homines, qui deos vocant et vota faciunt — nam votis vocant deos — etiam hunc vocabunt. Tum, cum Caesar aderit, bella ponentur[13]; bellis positis saecula mitescent (mitia[14] fient). Cana[15] Fides et Vesta et Quirinus (sic Romulus vocatur, postquam deus factus est) et Remus iura dabunt. Portae dirae[16] Belli claudentur ferro et compagibus[17] artis[18] (portae ferreae sunt). Furor impius vincietur centum nodis[19] aenis[20] et intus[21] sedebit super saeva arma; Furor intus super saeva arma sedens et post tergum[22] centum nodis aenis vinctus fremet[23] horridus ore cruento[24].

Mercurius erat filius Iovis et Maiae. Propterea Mercurius a Vergilio vocatur „Maiā genitus“. Mercurius est nuntius deorum. Hunc nuntium deorum Maia genitum Jupiter Karthaginem[25] mittit. Mercurium Jupiter demittit ab alto (caelo). „Audite, Karthaginienses“, inquit Mercurius, „quid Jupiter velit. Nolite[26] arcem novam claudere[27] Teucris[28]. Nolite terram claudere Teucris. Teucri hospites vestri sunto. Pateant[29] arces et terrae Teucris. Pateant arces et terrae Teucris[28] hospitio[30]. Hoc dixit Mercurius, ne Dido, regina Karthaginiensium, Teucros arceret[31] finibus. Nam fortasse Dido nesciebat, quid fatum vellet; fortasse Dido erat nescia fati. Ne[32] Dido nescia fati Teucros arceret finibus, propterea Mercurius a Jove ab alto demissus est. Nam optat Jupiter, ut terrae utque[33] novae arces Karthaginis pateant Teucris hospitio. Mercurius volat per magnum aëra[34]. Navis remis[35] utuntur; omnes remi vocantur „remigium“[36]. Etiam Mercurius remigio utitur; sed non remis, sed alis[37] utitur. Mercurius remigio alarum utitur. Qui remigio alarum utitur, citus[38] est. Itaque Mercurius citus[39] in oras[40] Libyae venit; citus

1 ja sogar. 2 rauh. 3 ermüden. 4 eigentlich: „wärmen“. 5 lustrum Jahrfünft. 6 gleiten. 7 Knechtschaft. 8 herleiten. 9 begrenzen. 10 sorgenfrei. 11 belastet. 12 Beute. 13 weglegen. 14 mitis mild. 15 grau, ehrwürdig. 16 schrecklich. 17 Fugen. 18 dicht. 19 Knoten. 20 ehern. 21 drinnen. 22 Rücken. 23 murren. 24 blutig. 25 nach Karthago, Städtenamen als genaue Ortsbestimmung leiden keine Präposition. 26 Imperativ von nolo. 27 schließen. 28 Dativ. 29 auf sein, geöffnet sein. 30 durch Gastfreundschaft. 31 arceo (e, u, it) fernhalten von (mit Ablativ). 32 Damit nicht. 33 que und. 34 a ist griechische Akkusativendung. 35 Riemen, Ruder. 36 Ruderwerk. 37 ala Flügel. 38 schnell. 39 eigentlich „als ein schneller“. 40 Küsten.

Mercurius adstitit[1] oris Libyae. Et iam Mercurius iussa[2] facit. Corda[3] Poenorum ferocia erant. Mercurius iis dixit: „Ponite corda ferocia; hoc volo, sic iubet Jupiter“. Volente deo Poeni ponunt corda ferocia. Imprimis Dido regina ponit cor ferox; Dido animum quietum[4] in[5] Teucros accipit et mentem benignam.

Pius Aeneas per noctem plurima volvit[6]. Cum lux venit vel, ut ait Vergilius, ut primum[7] lux alma[8] data est, pius Aeneas constituit[9] exire et novos locos explorare[10]. Constituit quaerere, quas oras vento accesserit[11]; constituit quaerere, qui has oras teneant. Fortasse homines has oras tenent; fortasse ferae has oras tenent. Aeneas constituit quaerere, hominesne feraene teneant eas oras. „Ea, quae exegero[12], referam sociis“, inquit. Ergo pius Aeneas constituit quaerere et postea sociis exacta referre. Loci culti[13] non erant, orae cultae non erant; loci et orae inculta erant (locus et ora diversi generis sunt, locus est masculini, ora est feminini generis; propterea nomen adiectivum neutrius generis est). Aeneas videt locos et oras inculta esse.

Aeneas classem occulit[14]. Nemora[15] in litore convexa[16] erant. In hoc convexo nemorum Aeneas classem occuluit. Ibi classis arboribus circum[17] clausa erat. Arbores umbram[18] faciunt. Classis arboribus et umbris horrentibus clausa erat. Praeterea ibi rupes[19] magna erat. Haec rupes cavata[20] erat. Sub hac rupe Aeneas classem occulit. Ipse graditur[21] comitatus[22] Achate uno. Aeneas, ut cervos aut hostes iacere possit, iacula[23] secum portat. Pars iaculi lignea[24] est; haec pars iaculi vocatur hastīle[25]. Pars iaculi ferrea est; haec pars iaculi vocatur cuspis vel simpliciter ferrum. Hoc ferrum non solum acutum[26] sed etiam latum est. Is qui venatur[27], vocatur venator; feminam, quae venatur, vocamus venatrīcem. Venator hastilia manu portat et crispat[28]. Etiam Aeneas duo hastilia vel, ut ait Vergilius, bina[29] hastilia manu crispabat. Hastilia, quae Aeneas crispabat, lato ferro[30] erant.

Tum Aeneae mater obviam[31] venit mediā silvā. Mater Aeneae dea erat; novistis Venerem; Venus erat mater Aeneae. Venus ei obviam venit vel, ut ait Vergilius, Venus obvia sese tulit Aeneae; nam qui obviam venit, vocatur obvius[32]. Di, si hominibus obvii fiunt, plerumque formam et habitum[33] et os[34] hominum induunt et gerunt. Etiam Venus, cum obvia sese ferret filio, os et habitum virginis et arma virginis gerebat. Sed quae virgines arma gerunt? Virgines Spartanae et multae praterea, in his etiam virgines Thrae-

---

1 ad-sisto (assistieren), ad-stiti, kein Supin, „sich dazu stellen“, sich dahinstellen zu. 2 das Befohlene. 3 Herzen, (Einzahl cor, weil d hier nicht am Ende stehn bleiben kann). 4 ruhig. 5 gegen. 6 wälzen, überlegen. 7 sobald als. 8 nährend, segensreich. 9 beschließen. 10 erforschen. 11 accedo herangehn, betreten. 12 exigo, exegi, exactum (von ago) herausbringen, erforschen. 13 colo, colui, cultum bebauen. 14 einf., u. t verbergen. 15 nemus Hain. 16 eig. „zusammengefahren“, d. h. bogenförmig gekrümmt. 17 ringsum. 18 Schatten. 19 Fels. 20 ausgehöhlt. 21 gradior schreiten. 22 begleitet. 23 Wurfspieße. 24 hölzern. 25 Schaft. 26 scharf. 27 Deponens, jagen. 28 schwingen. 29 eig. je zwei; „ein paar“. 30 ablativus qualitatis (der Beschaffenheit). 31 gegen den Weg, entgegen. 32 begegnend. 33 Haltung. 34 Mund, Gesicht.

issae (vel Threissae; viri, qui Thraciam incolunt, vocantur Thraces; feminae, quae Thraciam incolunt, vocantur Thraeissae vel Threissae). Virgines Thracissae celeriter currebant, celerius quam equi; hae virgines, si cum equis certabant[1] currendo, equos fatigabant[2] et praevertebantur[3]. Nonnullae etiam ventos praevertebantur, si poetis credere licet. Harpalyce talis virgo Thraeissa fuisse videtur, quae (Vergilius scribit „qualis") volucrem[4] Eurum[5] fuga praevertebatur. Os et habitum et arma talis virginis Venus gerebat. Hae virgines arcum habilem[6] ferunt; hunc arcum humeris[7] suspendunt[8]. Etiam Venus de more harum virginum arcum humeris suspenderat et comam[9] ventis dederat diffundere[10]. Vestis feminarum genua[11] et suras[12] tegit; sed genu venatricis nudum est vel, ut ait poeta, venatrix nuda genu est. Ea pars vestis, quae circa pectus est, vocatur sinus. Haec pars vestis ampla[13] est, ne pectus prematur; propter poeta dicit: sinus fluit. Venatrix autem sinus fluentes colligit[14] nodo[15]. Sic sinus fluentes nodo collecti sunt; sed poeta dicit: venatrix nodo collecta est sinus fluentes.

Sic dea obvia se fert filio. Aeneas fortasse aliquid dicere volebat, sed Venus prior dicit. „Heus"[16] inquit, „fortasse vidistis sorores meas. Sorores meae hic errant[17] et clamore premunt cursum apri[18] spumantis[19]. Sorores succinctae[20] sunt pharetra[21]. Etiam lyncem[22] premunt, cuius pellis maculosa[23] est. Haec tegmina[24] lyncis virgines amant; propterea premimus lynces; premimus tegmina lyncis maculosae. Monstrate[25], siquam forte mearum sororum hic errantem, pharetra succinctam, tegmina lyncis aut apri cursum clamore prementem vidistis."

Sic Venus dixit, et Veneris filius sic contra orsus[26] est: „Nullam tuarum sororum audivi, nullam vidi; nulla mihi audita neque visa est. Sed quam te dicam, quam te memorem[27], virgo? namque[28] tibi haud[29] vultus mortalis est. Vox tua non sonat, sicut vox hominis sonare solet; vox tua non sonat hominem. O, certe dea es! An[30] es soror Phoebi Apollinis? An nympha es? (Vergilius scribit: es una sanguinis[31] nympharum). Sed quaecumque[32] es, sis felix et leves[33] nostrum laborem. Nescimus, sub quo caelo simus, nescimus, in quibus oris orbis terrarum simus; nam diu iactati sumus; vento et vastis fluctibus huc[34] acti sumus; nunc erramus ignari[35] hominum et locorum. Doceas nos, quo sub caelo tandem[36] iactemur. Immolabimus[37] tibi, quia dea es, multas hostias[38]; nostra manu dextra necabimus hostias ante aras tuas; multa hostia tibi cadet ante aras dextra nostra." Ergo Aeneas matrem non agnovit.

---

1 wetteifern. 2 ermüden. 3 überholen. 4 geflügelt. 5 Ostwind. 6 handlich. 7 Schulter. 8 aufhängen. 9 Haar. 10 auseinanderschütten. 11 Knie. 12 Wade. 13 weit. 14 zusammenraffen. 15 Knoten. 16 „ach". 17 umherschweifen. 18 Eber. 19 schäumen. 20 gerüstet. 21 Köcher. 22 Luchs. 23 gefleckt. 24 Decke. 25 zeigen. 26 ordior, orsus sum, ordiri anfangen. 27 nennen. 28 denn. 29 nicht. 30 Fragewort, hier zu übersetzen „vielleicht", an zweiter Stelle durch „oder". 31 des Blutes. 32 wer auch immer. 33 levare erleichtern. 34 hierher. 35 unkundig. 36 eigentlich. 37 opfern. 38 Opfertier.

Tum Venus dixit: „Equidem[1] haud[2] me dignor[3] tali honore. Virginibus Tyriis mos est pharetram gestare[4] (gestare est verbum frequentativum a verbo gero, gessi, gestum; stirps supini est „gest"; „a" additur, „gesta" est stirps verbi frequentativi) et suras[5] alte vincire[6] purpureo cothurno[7]. Haec regna, quae vides, sunt regna Punica; homines, quos videbis, sunt Tyrii (Tyrus est urbs in Asia); urbem, quam videbis, est urbs Agenŏris. (Agenor erat atavus[8] regum, qui Tyri regnabant). Sed non es in Asia; hi fines sunt fines Libyci. Viri Libyci bello non facile vinci possunt; hoc genus hominum est intractabile[9] bello (quod tractari non potest, vocatur intractabile; „tractare" est verbum frequentativum a verbo traho, traxi, tractum). Imperium urbis, quam condimus, regit Dido regina. Dido urbe Tyria profecta est fugiens fratrem germanum[10] (Vergilius non scribit „fratrem germanum", scribit simpliciter „germanum"). Non totam iniuriam tibi narrare possum, non omnes ambāges[11]; nam longa est iniuria, longae sunt ambages. Sed narrando sequar summa fastigia[12] rerum. Didoni coniunx Sychaeus erat. Hic Sychaeus dives erat; in agro Phoenīcum nemo praeterea tam dives erat; Sychaeus eret ditissimus agri Phoenicum. Sed Dido non propterea ei nupserat, quia dives erat; sed Dido amabat eum et diligebat[13] eum magno amore. Sychaeus ei (= ab ea) magno amore dilectus erat. Hoc amore Dido misera facta est. Dido virgo intacta[14] erat, cum pater eam Sychaeo uxorem dedit (sed Vergilius non scribit: „uxorem dedit", scribit: „dedit et primis ominibus[15] iugavit[16]"). Frater germanus Didonis (vel Didūs) est Pygmalion. Hic Pygmalion regna Tyri habebat. Sed Pygmalion scelestus[17] erat; Pygmalion immanis[18] erat scelere. Pygmalion ante omnes alios immanior erat scelere.

Inter hos homines furor[19] venit (vel, ut ait Vergilius: Quos inter medius venit furor). Sychaeus ante aras[20] templi erat et propterea incautus[21] erat. Nam quis putat ante aras pericula esse? Nam omnes homines pii[22] deos metuunt. Sed Pygmalion impius erat. Pygmalion caecus erat amore auri. Nemo aderat praeter Sychaeum et Pygmalionem. Tum Pygmalion clam[23] Sychaeum incautum ante aras superat[24]. Pygmalion non meminit sororis; vel potius non curabat[25] sororem et amores sororis; Pygmalion se-curus[26] (se-curus est, qui non curat) erat sororis et amorum sororis germanae. Sed clam Pygmalion Sychaeum interfecit. Nihil dicit sorori; diu[27] celavit factum. Rogat Dido: „Ubi est Sychaeus". Respondet Pygmalion: „Abest, in agris est, in silva est, in nave est; sed mox veniet; spero eum mox venturum esse". Sic Pygmalion multa simulat[28], ne Dido celeriter spem amittat[29]. Sed spes vana[30] erat;

---

1 = ego quidem, ich wenigstens. 2 nicht. 3 für würdig halten. 4 tragen, führen. 5 Wade. 6 fesseln, einschnüren. 7 Jagdstiefel. 8 Ahnherr. 9 un-behandelbar. 10 recht, leiblich. 11 Umschweif. 12 fastigium Giebel, Gipfel, Hauptpunkt. 13 schätzen. 14 unberührt. 15 Vorzeichen. 16 zusammenjochen. 17 verbrecherisch. 18 ungeheuerlich. 19 Raserei. 20 Altar. 21 sich nicht hütend, sorglos. 22 fromm. 23 heimlich. 24 überwinden. 25 sich sorgen oder kümmern um. 26 unbekümmert um. 27 lange. 28 erheucheln. 29 verlieren. 30 leer, eitel.

iam Dido aegra[1] erat metu; aegram amantem Pygmalion malus multa simulans vana spe lusit[2].

Sed corpus Sychaei nondum humatum[3] erat; imago[4] inhumati coniugis in somnis[5] venit. Haec imago Sychaei ora[6] pallida[7] miris[8] modis attollit[9]. „Crudeles[10] arae sunt“, inquit, „si ante aras interficimur, si ante aras pectora[11] ferro traiciuntur[12]. Sed nunc retego[13] omne caecum[14] scelus domus (genitivus); sicut pectora ferro traiecta nudavi[15], sic tibi nudo aras scelestes, ante quas Pygmalion me necavit. Surge uxor, celera[16] fugam; nam suadeo tibi, ut patria excedas. Auxilium dabo tibi, quo ad viam uti possis, veteres thesauros[17] inclusi[18] tellure; hos thesauros tibi recludo[19]; hoc tibi auxilium viae erit. Nam magnum pondus argenti et auri est; nemo antea tantum pondus argenti et auri vidit; ergo ignotum pondus auri et argenti est.“ His verbis commota Dido fugam et socios parabat.

Publii Vergilii Maronis

Aeneidos liber primus.

Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,
Intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
Huc sept*em* Aeneas collectis navibus omni
Ex numero subit; ac magno telluris amore
Egress*i* optata potiuntur Troes arena
Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintill*am* excudit Achates
Suscepitqu*e* ignem foliis atqu*e* arida circum
Nutrimenta dedit rapuitqu*e* in fomite flammam.
Tum Cererem corrupt*am* undis Cerealiaqu*e* arma
Expediunt fessi rerum frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo.

---

1 krank. 2 ludo narren. 3 beerdigt. 4 Schattenbild. 5 Schlaf. 6 os Mund, Plural ora Antlitz. 7 blaß. 8 wunderbar. 9 emporheben. 10 grausam. 11 pectus Brust. 12 durchbohren. 13 aufdecken. 14 blind. 15 entblößen. 16 beschleunigen. 17 Schatz. 18 einschließen. 19 aufschließen.

Aeneas scopul*um* interea conscendit et omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si quem
Iactatum vento videat Phrygiasque biremis,
Aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici.
Nav*em* in conspectu nullam, tres litore cervos
Prospicit errantes; hos tot*a* armenta sequuntur
A terg*o* et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
Ductoresqu*e* ipsos primum capit*a* alta ferentes
Cornibus arboreis sternit, tum vulgus et omnem
Miscet agens telis nemor*a* inter frondea turbam;
Nec prius absistit, quam sept*em* ingentia victor
Corpora fundat hum*i* et numerum cum navibus aequet.
Hinc portum petit et socios partitur in omnes.
Vina bonus quae d*e*inde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio dederatqu*e* abeuntibus heros,
Dividit et dictis maerentia pectora mulcet:
„O socii, — nequ*e* en*im* ignari sumus ante malorum —
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos et Cyclopia saxa
Experti: revocat*e* animos maestumque timorem
Mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
Durat*e* et vosmet rebus servate secundis.“
Talia voce refert curisqu*e* ingentibus aeger
Spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se praed*ae* accingunt dapibusque futuris:

Tergora deripiunt costis et viscera nudant;
Pars in frusta secant verisbusque trementia figunt,
Litor*e* aena locant alii flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae.
Postqu*am* exempta fames epulis mensaeque remotae,
Amissos longe socios sermone requirunt,
Spemque metumqu*e* inter dubii, seu vivere credant,
Siv*e* extrema pati nec i*am* exaudire vocatos.
Praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
Fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum.
Et iam finis erat, cum Juppiter aethere summo
Despiciens mare velivolum terrasque iacentes
Litoraqu*e* et latos populos, sic vertice caeli
Constitit et Libyae defixit lumina regnis.
Atqu*e* illum tales iactantem pectore curas
Tristior et lacrimis oculos suffusa nitentes
Adloquitur Venus: „O qui res hominumque deumque
Aeternis regis imperiis et fulmine terres,
Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere, quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Cert*e* hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores revocat*o* a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
Pollicitus, quae te, genitor, sententia vertit?
Hoc equid*em* occasum Troiae tristesque ruinas
Solabar fatis contraria fata rependens;
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus atqu*e* intima tutus
Regna Liburnor*um* et fontem superare Timavi,
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare prorupt*um* et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ill*e* urbem Patavi sedesque locavit
Teucror*um* et genti nomen dedit armaque fixit
Troia, nunc placida compostus pace quiescit:
Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
Navibus, infand*um*! amissis unius ob iram
Prodimur atqu*e* Italis longe disiungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?“
Olli subridens hominum sator atque deorum
Vultu, quo caelum tempestatesque serenat.
Oscula libavit natae, de*h*inc talia fatur:
„Parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
Fata tibi; cernes urb*em* et promissa Lavini
Moenia sublimemque feres ad sidera caeli
Magnanim*um* Aenean; neque me sententia vertit.
Hic tibi — fabor enim, quand*o* haec te cura remordet,
Longius et volvens fator*um* arcana movebo —
Bell*um* ingens geret Italia populosque feroces
Contundet moresque viris et moenia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, — Ilus erat, dum res stetit Ilia regno —
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperi*o* explebit regnumqu*e* ab sede Lavini
Transferet et Longam multa vi muniet Albam.
Hic iam ter centum totos regnabitur annos

Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte gravis geminum partu dabit Ilia prolem
Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gent*em* et Mavortia condet
Moenia Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat
Consili*a* in melius referet mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam."
Sic placitum. Veniet lustris labentibus aetas,
Cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas
Servitio premet ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
Imperi*um* Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.
Hunc t*u* olim caelo spoliis Orientis onustum
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent saecula bellis;
Cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt; dirae ferr*o* et compagibus artis
Claudentur Belli portae; Furor impius intus
Saeva sedens super arm*a* et centum vinctus aënis
Post tergum nodis fremet horridus ore cruento.
Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terr*ae* utque novae pateant Karthaginis arces
Hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum
Remigi*o* alar*um* ac Libyae citus adstitit oris.
Et iam iussa facit ponuntque ferocia Poeni
Corda volente de*o*; imprimis regina quietum

Accipit in Teucros animum mentemque benignam
At pius Aeneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data *e*st, exire locosque
Explorare novos, quas vent*o* accesserit oras,
Qui teneant (n*am* inculta videt), hominesne feraene,
Quaerere constituit sociisqu*e* exacta referre.
Class*em* in convexo nemorum sub rupe cavata
Arboribus clausam circ*um* atqu*e* horrentibus umbris
Occulit; ips*e* uno graditur comitatus Achate.
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia silva,
Virginis os habitumque gerens et virginis arma,
Spartanae vel qualis equos Thraeissa fatigat
Harpalyce volucremque fuga praevertitur Eurum.
Namqu*e* humeris de mor*e* habilem suspenderat arcum
Venatrix dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes.
Ac prior „Heus", inquit, „iuvenes, monstrate, mearum
Vidistis siqu*am* hic errantem forte sororum
Succinctam pharetr*a*, et maculosae tegmina lyncis
Aut spumantis apri cursum clamore prementem".
Sic Venus, et Veneris contra sic filius orsus:
„Nulla tuar*um* audita mihi neque visa sororum,
O — quam te memorem, virgo? namqu*e* haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o dea certe,
An Phoebi soror? an nympharum sanguinis una?
Sis felix nostrumque leves quaecumque laborem,
Et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas; ignar*i* hominumque locorumqu*e*
Erramus vent*o* huc vastis et fluctibus acti:
Multa tib*i* ante aras nostra cadet hostia dextra."

Tum Venus: „Haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureoqu*e* alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa *e*st iniuria, longae
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
Phoenic*um* et magno miserae dilectus amore,
Cui pater intactam dederat primisque iugarat
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scoler*e* ant*e* alios immanior omnes.“
„Quos inter medius venit furor. Ille Sychaeum
Impius ant*e* aras atqu*e* auri caecus amore
Clam ferr*o* incautum superat, securus amorum
Germanae; factumque diu celavit et aegram
Multa malus simulans vana spe lusit amantem
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Coniugis; ora modis attollens pallida miris
Crudeles aras traiectaque pectora ferro
Nudavit caecumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaqu*e* excedere suadet.
Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros, ignot*um* argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.



Druck von
Otto Nuschke in Leipzig
Nostitzstrasse 31

Berthold Otto's Lateinbriefe, 25 Briefe zur Einführung in den Bau der lateinischen Sprache und in die römische Literatur (Horaz, Ovid, Virgil, Livius, Cäsar), Berlin-Lichterfelde, Verlag des Hauslehrers, sollen das, was beim Erlernen der lateinischen Sprache an formaler Bildung zu gewinnen ist, solchen übermitteln, die noch keine fremde Sprache schulmäßig erlernt haben. Es ist darin also keiner der für Erlernung fremder Sprachen gewohnheitsmäßig in Betracht kommenden Begriffe vorausgesetzt, vielmehr werden alle in anregender Weise entwickelt. Die Einführung in die Literatur erfolgt mit überraschender Leichtigkeit. Die hier befolgte Methode hat namentlich in Volksschullehrerkreisen, aber auch sonst, begeisterte Anhängerschaft gefunden. — Jeder Brief kostet 50 Pf., das ganze Werk 12.50 Mk. Arbeitszeit zwei Jahre.

Berthold Otto's Lateinischer Selbstunterricht, Berlin-Lichterfelde, K. G. Th. Scheffer, 264 S. 4°, Preis 6 Mk., geb. 7.20 Mk., geben denselben Stoff für solche, die schon eine fremde Sprache schulmäßig erlernt haben, also die dabei üblichen grammatikalischen Begriffe schon beherrschen. Sie eignen sich besonders für Lehrerinnen und für ehemalige Oberrealschüler und führen in dieselben Schriftsteller ein wie die Lateinbriefe; den Abschluß bildet jedoch eine vollständige (lateinische) Vorbereitung auf Horaz' ars poetica. Der Stoff läßt sich in weniger als zwei Jahren, bei viel freier Zeit in einem Jahre bewältigen.

Bei beiden Werken handelt es sich nur um grammatikalisches Verständnis und Einführung in die Lektüre. Zur Bestehung eines Examens, bei dem die Künstelei des Übersetzens ins Lateinische verlangt wird, ist noch ein kurzer Nachunterricht nötig, den jeder Philolog, der die Lateinbriefe kennt, leicht erteilen kann.

